



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] aduocatus peccet iniusta[m] causa[m] defende[n]do? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

propter hoc quidam arcentur à patrocínio præstando in causis, quia sunt maiores tali officio, sicut religiosi & clerici, Quidam verò quia sunt minores, quàm ut eis hoc officium competat, sicut infames & infideles.

Ad tertium dicendum, quòd non ita imminet homini necessitas patrocinari causis aliorum sicut proprijs: quia alij possunt sibi aliter subuenire. Vnde non est similis ratio.

## ARTIC. III.

*Vtrum aduocatus peccet, si iniustam causam defendat?*

395

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quòd aduocatus non peccet, si iniustam causam defendat. Sicut enim ostenditur peritia medici, si infirmitatem desperatam sanat, ita etiam ostenditur peritia aduocati, si etiam iniustam causam defendere possit. Sed medicus laudatur, si infirmitatem desperatam sanat. Ergo etiam aduocatus non peccat, sed magis laudandus est, si iniustam causam defendat.

**¶ 2** Præterea, A quolibet peccato licet desistere. Sed aduocatus punitur, si causam suam prodiderit, ut habetur 2. q. 3. \* Ergo aduocatus non peccat, iniustam causam defendendo, si eam defendendam susceperit.

2. q. 3. c.  
Si quem  
penituerit.

**¶ 3** Præterea, Maius videtur esse peccatum, si iniustitia vratur ad iustam causam defendendam (puta producendo falsos testes, vel allegando falsas leges), quam iniustam causam defendendo: quia hoc est peccatum in forma, illud in materia. Sed videtur aduocato licere talibus astutijs vri, sicut militi licet ex infidijs pugnare. Ergo videtur quòd aduocatus non peccat, si iniustam causam defendat.

**S E D** contra est, quod dicitur 2. Paralipomen. 19. Impio præbes auxilium, & idcirco iram Domini mereris. Sed aduocatus defendens causam iniustam, impio præbet auxilium. Ergo peccando, iram Domini meretur.

R. E.

RESPONDEO dicendum, quod illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, siue consulendo, siue adiuuando, siue qualitercumque consentiendo: quia consiliarius & coadiuuans, quodammodo est faciens. Et Apostolus dicit ad Rom. 1. quod digni sunt morte non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus: unde & supra dictum est \*, quod omnes tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quod aduocatus & auxilium & consilium præstat ei, cuius causæ patrocinatur. Unde si sciens iniustam causam defendit, absque dubio grauiter peccat, & ad restitutionem tenetur eius damni, quod contra iustitiam per eius auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest.

q. 62. a. 7

Ad primum ergo dicendum, quod Medicus accipiens in cura infirmitatem desperatam, nulli facit iniuriam. Aduocatus autem suscipiens causam iniustam, iniuste lædit eum, contra quem iniuste patrocinium præstat. Et ideo non est similis ratio. Quamuis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat quantum ad iniustitiam voluntatis, qua abutitur arte ad malum.

Ad secundum dicendum, quod aduocatus si in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem iuuet, vel secreta sua causæ alteri parti reuelet. Potest tamen, & debet causam deserere, vel eum cuius causam agit ad cedendum inducere, siue ad componendum sine aduersarij damno.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est \*, militi vel duci exercitus licet in bello iusto ex insidijs agere ea, quæ facere debet, prudenter occultando, non autem falsitatem fraudulenter faciendo: quia etiam hosti fidem seruare oportet, sicut Tullius dicit in 1. de Offic. \* Unde & aduocato defendenti cau.

q. 40. a. 3  
\* in c. vl.  
quod de  
Iustitia  
agit. &  
m. d.